

huc seculo compertum est, & *Augerius Busbequius* oculatus testis memorat, *Olympum montem in estate quoq; nivibus oppletum deprehensum esse.* Qui credit facilè, decipitur facilè. Cur in summis maximorum montium culminibus non commodè diuq; durent homines, in causa est non aëris defectus sed materiae nitrosæ atqve respirabilis, ob subtilitatem atmosphære summam.

Supponamus igitur, (cùm per dimensionem geodæticam in stationibus diversis rarò deprehensa nubium altitudo fuerit excedere quadrantem milliaris nostri,) in medio secundæ regionis meteoron igneum hoc magnum generatum, in hanc coivisse molem, & ad minimum unius milliaris Germanici distantia fuisse elevatum suprâ terram; demus illi magnitudinem minoris montis, sive templi alicujus, sed figuræ sphericæ: haud dubitandum est, videri potuisse hoc phænomenon per aliquot Germaniæ provincias. Supponit sollers Mathematicus *Kavina*, magnitudinem Italici unius milliaris adæquasse, altitudinem phænomeni à se descripti 90. milliar. Ital. & visibile per 950. fuisse milliaria, in partibus *Europa* plurimis, tùm *Asia* ac *Africa*.

*Tempus* generationis & materialē causâ nunc spectem⁹. Mensibus Junio, Julio, & dimidio ferè Augusto graviores tempestates, horribiliora fulmina & tonitrua existere, què verò clam est? Sol enim magnus Orbis magnes attrahendi vim potentioorem exerit, quò rectiores vibrat radios, & Æqvatores prætervectus, partē borealem etiam aggreditur, videlicet dimidium hunc nostrum orbem citrà Æqvatores, nivibus contactum magis, & refertum nubibus; ut rectè loquitur *Cartesius* Meteorol. c. 4. n. 7. Particulas sulphureas & nitrosas probant meteora ignea, & fulgura & tempestates similes. Deinde odor ipsemet sulphureus, qui nares afficit in fulmine urente